SUMMARIUM.

Capitolo di Lettera ſcritta dal R. P. Maeſtro Matteo, e ſottoſcritta dal medemo, e dal P. Rios ambedue Exprovinciali al P. Fr. Gioſeppe Oviedo ſuo Agente in Roma.

Num. 1. *Epiſtola Patris de los Rios Adverſarii curantis Litteras patentes pro ſibi augendis Vocalibus.*

BEnche nel Corriere paſſato hò procurato che foſſe ricapitata a V.R. un altra mia accluſa nel piego del Marcheſe di Toralba acciò gliela faceſſe conſegnare in quel Porto, ò pur rimettere in Roma &c.

Ciò che la prego ſi è, che ſi trattenga in coteſta Corte ſin tanto, che ſi finiſchino tutte queſte pendenze: La notte paſſatà e morto repentinamente il P. Rettore di S. Alberto &c. e perciò non poſſo più dilungarmi &c. Siviglia. 23. Gennaro 1725.

Fr. Diego Tomaſſo de los Rios = Fr. Matheo, Poſtſcripta.

Si propone al Reverendiſſimo P. Iturbide, acciò faccia ſpedire una patente di Rettore del Collegio di S. Alberto a favore del P. Maeſtro Galindo, *il quale non ha voto & in virtù di queſta patente le competerebbe, & haveremo aſſicurato queſto Voto di più. Faccia V.R. ſu queſto particolare tutte le diligenze poſſibili: già lei sà che l'altra patente che ſtà in noſtre mani non puol ſervire ſino al Capitolo, e che il Patentato hà voto. E benche la ſuddetta patente arrivi otto giorni avanti il Capitolo. Tanto baſta &c.*

Num. 2. *Renunciatio Prioris Conventus Oxomenſis expleta de menſe Octobr. 1724. ex qua reſultat neceſſitas electionis alterius Prioris qui poſtea fuit indebitè excluſus à Capitulo.*

Fidem facio Ego Fr. Mathias de Moro &c. & Secretarius hujus Conventus Oxonenſis qualiter die Jovis 12. Octobris currentis anni &c. R.P. Magiſter Fr. Ioannes de los Robles Prior ejuſdem Conventus convocari mandavit communitatem, & congregatis &c. propoſuit.

Quod cum Conventus ob calamitates temporum ad eam redactus eſſet anguſtiam, ut panis pro ſubſtentatione Religioſorum de ſero ejuſdem diei duodecimæ ſubminiſtrari non poſſet minuſque ullum adeſſet Medium, quomodo compararetur &c. factis enim non nullis diligentiis, omnia impervia receperat, cumq. proinde Conventui deeſſent omnia neceſſaria pro ejus ſubſtentatione &c. perpenderent, ac viderent quid agendum pro opportuno remedio: An pignoratis ſuppellectilibus,

Argenteis Sacristiæ sive imposito Censu sive vendito aliquo ex prediis ejusdem Conventus hujusmodi necessitati succurrendum arbitrarentur &c. resolutum fuit ab omnibus, quod dictus Reu. Pater Magister Prior exquireret oraculum Reverendissimi Patris Vicarii Provincialis Magistri Fr. Josephi Gonzalez Sandoval, quia Reu. Communitas paratam se exhibebat in omnibus, & per omnia obsequi ejus mandatis &c.

Fidem insuper facio, qualiter perventa responsione nostri admodum Rev. Patris Magistri Vicarii Provincialis R.P. Magister Prior die Dominica 15. ejusdem mensis exposuit Communitati, qualiter pervenerat responsio Reverendissimi P. Vicarii Provincialis, qui nullum ex mediis sibi propositis approbare intendebat, quia impositio Census tendebat ad onerandum magis Conventum, venditio prædiorum Conventualium effectuari non poterat, ac dura æque videbatur pignoratio suppellectilium Sacristiæ, ideoque à se excogitandum fore medium pro subsidio & solatio Rev. Communitatis.

Fidem etiam facio, qualiter die mercurii 18. ejusdem mensis hora septima cum dimidia circiter antemeridiana idem R.P. Magister Prior mandavit convocari Communitatem, eaque Congregata in Aula Deprofundis exposuit, quod attendens impossibile fore ob motiva jam allegata, quod suppleri possent imposterum necessaria pro manutentione Communitatis ob deficientiam Introitus & reddituum sufficientium, cum in parte exacti jam fuissent residuum verò esset inexigibile, deliberaverat suum officium dimittere & hujusmodi renunciatio admissa fuerat per Reverendissimum P. Magistrum Vicarium Provincialem, ideoque hoc participandum censuerat Rev. Communitati, ut sciret imposterum, se non esse amplius Prælatum, & ita veniam petiit &c.

Ideo cum in præsenti per d. P. Magistrum d. Testimonium postuletur, ut de præmissis constet, præsentes testimoniales dedi mea subscriptione, signoque munitas in hoc Conventu Beatæ Mariæ de Monte Carmelo de observantia Villæ de Ossuna die 30. Octobris anni 1724.

Fr. Mathias de Mora Secretarius.

Fr.

Fr. Gaspar Pizolanti Sacræ Theologiæ Magister, & Doctor, humidis Prior Generalis. nec non Visitator, & Commissarius Apostolicus totius Ordinis Fratrum Beatissimæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo antiquę observantiæ Regularis = Dilecto Nobis in Christo R.A.P. Magistro Iosepho Gonzalez Sandoval in Provincia nostra Bætica Vicario Provinciali salutem in Domino. Cùm nuper á Nobis postulaveris, ut nonnullas Superiorum localium à te factas partim occasione renunciationum, partim transmutationis, institutiones auctoritate nostra confirmaremus &c. præsentium tenore approbamus, & confirmamus, & singulis Superioribus Localibus prædictis curam damus Animarum, & utrorumque administrationem Bonorum in suis respectivè Conventibus usquè ad Capitulum Provinciale inclusivè. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Similiter ob eam causam novorum institutionis Priorum, aliasque animum nostrum moventes, harum serie dispensamus super celebratione proximæ intermediæ Congregationis; Et si quæ se obtulerit occasio novos creandi Priores, facultatem Tibi concedimus, nostramque auctoritatem committimus per totum tempus præsentis tui Regiminis usque ad Capitulum Provinciale, ubi occurret hujusmodi necessitas eos instituendi duraturos usque ad d. terminum inclusivè. Horum fide datum in Carmelo S. Mariæ de Concordia Neapolis in decursu Generalis, & Apostolicæ nostræ Visitationis die 7. Martii 1722. = Fr. Gaspar Pizolanti Generalis Carmelitarum = Fr. Josephus Maria Solarius Secretarius Rev. Patris &c.

Num. 3. *Facultas Reverendiss. P. Generalis concessa P. Provinciali Gonzalez eligendi Priores prò tempore ejus regiminis usque ad celebrationem Capituli Provincialis.*

Ego infrascriptus Sacræ Theologiæ Magister de numero Vocalium hujus Provinciæ Beticæ &c. qui protestationem Capituli, & recursum feci ad Sacram Congregationem, ratifico me in omnibus prædictis, & signatis à me super nullitate ipsius sub eodem Juramento in verbo Sacerdotis &c. sub quo etiam declaro, quod P. Magister Fr. Didacus de los Rios &c. post tumultus à se causatos in Magna Villa Utrasiense post rebelliones excitatas in Provincia contrà suum Prælatum ob ejus munus ambiendum, tandem per P. Magistrum Fr. Christophorum de Toro cum suis Epistolis commovit Religiosos quosdam contrà suum Prælatum: Ipse enim Pater Toro advocavit Ipsos ad publicam Aulam vulgo Deprofundis quadam die post Vespe-

Num. 4. *Declaratio, P. Magistri Vincentii Garzia, ex qua resultat modus adhibitus à P. Magistro de los Rios ad effectum consequendi suffragia*

ras persuadens, ut darent suffragium ad mentem P. Magistri Rios in Electione Socii. Et ità videtur provisus ab eodem in Priorem Carmonensem: Ad huncque effectum magnificabant omnes Clientes Patris Rios potestatem, & tenacitatem Illustrissimi Archiepiscopi Hispalensis, eumque supponebant acerrimè inductum ab ipso Patre ad favendum ei, qui sæpè repetebat, non habere pavorem ullum Romæ, quoniàm habebat aureos, quibus ibi omnia sanantur, sicùt alia vice sanata fuerant &c. In hoc Conventu Utrariensi die 9. Augusti 1725.

Magister Fr. Vincentius Garzia.

Num. 5. *Alia similis declaratio, ex qua resultat idem, & ulterius instantiæ emissæ à P. Magistro de los Rios.*

Fateor Ego infrascriptus Sac. Theologiæ Magister &c. à me protestatum fuisse de nullitate Capituli ibidem celebrati sub die 21. mensis Aprilis Anni currentis &c. in quo admissi fuerunt Vocales Titulares ad effectum electionis faciendæ contrà formam præscriptam à Sacro Concilio Trydentino ad favorem P. Magistri Didaci de los Rios &c. Absquè ullo siquidem motivo exclusi fuerunt à voto Superiores legitimi, & uti tales admissi, qualis erat P. Præsentatus Fr. Ferdinandus Munoz Vicarius Prior Conventus Exumensis, & Ego infrascriptus, cui die Veneris Vespere Electionis sub meridiem nunciatum fuit ex parte d. D. Archiepiscopi, nè auderem ingredi ad votandum cum aliis de gremio, quià me excommunicaverat, cùm de cœtero certissimum sit, ut iterùm, atquè iterùm juro in verbo Sacerdotis, nunquàm assertam Excommunicationem mihi intimatam fuisse, nequè à celebratione Divinorum Officiorum abstinuisse, minùsque id mihi vetitum &c. qui hoc intuitu pluribus mediis illicitis usus fuit, ac evulgavit, se Provincialatum assecuturum per fas, vel per nefas, ad quem effectum sibi non deesse Aureos, omniaque Romæ sanari, ac favente Archiepiscopo suis attentatis ob reverentiam Principis se indemnem evasurum, ac de cætero vel se eligendum fore in Provincialem, vel totam Provinciam destruendam; Ità sanè jactitabant ipse, eique Adhærentes &c. curarunt in vespere Capitulorum ad incutiendum terrorem, ut communis fuit intelligentia in hoc Collegio, evulgantes per totam Provinciam rumorem hujusmodi facti de tempore, quo instruebantur Electiones Sociorum Conventualium, & Vocales se disponebant, ut accederent ad Capitulum, & effectivè sub hujusmodi motivo meticulosi accesserunt, ac plures Electiones Sociorum factæ fuerunt tumul-

multuariè, nonnullæ verò more Castrorum, ex quibus omnibus resultavit Electio Capitularis nulla, illicita, violenta, meticulosa, ac sub comminationibus &c. Iterumque protestor adversùs d. Capitulum tanquàm illicitum, & nullum omni jure tam divino, quàm humano, ac de præmissis omnibus formiter conqueror &c. Et ità declaro, & juro in Civitate Hispalensi die 4. Septembris Anni 1725.

Magister Fr. Joannes Diaz, & Texada &c.

Num. 6. *Alia similis declaratio.*

Nos infrascripti Vocales Capituli celebrati in Civitate Hispalensi die 21. Aprilis currentis Anni, de cujus nullitate ob plurima contrà Jus in ibi gesta protestati fuimus iterùm de ejusdem nullitate protestamur, quià non obstante Litis pendentia super d. nullitate in Sacrà Congregatione, P. Magister Rios Provincialis intrusus actus violentos prosequi non dubitans sub assertis prætextibus, ac abutens reverentiâ debita Reverendissimo Archiepiscopo Ispalensi, ejusque patrocinio tanquàm scuto tueri intendens omnia sua attentata, non sine læsione Caracteris tanti Præsulis; Processum informativum in Provincia construere non veretur eo sub prætextu, quod à Nobis allegatum fuerit, Capitulum nullum extitisse, eo quia Dominus Archiepiscopus Jurisdictionem minime haberet inibi præsidendi; Cùm de cætero hoc evidenter falsum sit: Nullitates siquidem oppositæ resultant ex augumento Votorum ad effectum Electionis contrà dispositionem Sac: Concilii Tridentini, ex restrictione Eligendorum contrà omne Jus, & consuetudinem Religionis, ex læsione libertatis, & exclusione Vocalium legitimorum, qui auditi non fuerunt, nec non ex subornationibus minis, ac pollicitationibus adhibitis, & exercitis in vilipendium omnium divinarum, & humanarum legum, quibus d. P. Rios, adhibitâ operâ suorum Dependentium, per diversas communitates sese insinuans trahere studuit in factiones Conventus, oblatis Officiis, aliisque præmiis pro captandis votis, ut actum fuit in Conventu Antecheræ, mediante persona P. Fr. Francisci Recio: In Conventu de Gibraleone per P. Fr. Josephum Serrano: In Conventu Utrariensi per P. Magistrum Toro: In Conventu S. Joannis del Porto per P. Fr. Joannem Toscano, eodemque modo in aliis plurimis Conventibus evulgando, gratum esse Rmo Archiepiscopo quod omninò ipse P. Rios eligeretur in Provincialem: Quo pacto obnigrare veritus non fuit hono-

honorem tanti Præſulis, & proprium Inſtitutum ob ſuos particulares intuitus, animo trahendi in fattorem ſuarum machinationum tantæ Auctoritatis Principem, ut ſub illius umbra à pœnis condignis ſe eximeret: Ideòque declaramus, noſtram inſtantiam, & litem unicè tendere contra d. P. Rios, utpote qui prætendit obumbrare omnes reſpectus, ad effectum occultandi gravitatem ſuorum attentatorum: Cum de cætero Reverendiſſimus Archiepiſcopus nullam aliam habeat partem in hujuſmodi confuſionibus, præter eam, quam idem P. Rios eidem adſtruere ſtuduit illius patrocinium implorans ſub fictionibus pernicioſis Obſervantiæ, & quieti Provinciæ, quam ad hujuſmodi finem in factiones trahere ſtuduit, ad extorquendum Provincialatum, variis adhibitis recurſibus coram Judicibus competentibus, & incompetentibus, ac utens Legibus derogatis, ut publicum, & notorium eſt, cum ſcandalo Religioſorum, & Extraneorum, utque de præmiſſis omnibus conſtet, quodquè Lis, de qua agitur, unicè reſpicit d. Patrem Rios. Ità declaramus, & juramus in hoc Conv. Civit. Egizæ die 7. Auguſti 1725.

Fr. Joſeph Gonzalez Sandoval Exprovincialis.
Fr. Alonſus Delgado.
Fr. Felix à Regibus &c.

Num. 7. *Alia ſimilis declaratio.*

Fr. Antonius Cueſta Præsbyter &c. in hoc Carmelitarum de Obſervantia Utracienſi Cænobio, pro quo ſuffragium dedi in Capitulo Provinciali &c. cujus proteſtationem ſubſcripti recurrens ad Sac. Cougregationem. Quoniam minacibus notitiis, & vocibus ab Amicis P. Magiſtri Rios ſparſis de exiliis, degradationibus, & aliis injuriis præparatis contrà quemcumque, qui ſuffragium nondaret determinatè præfato P. Magiſtro Rios, & non aliis &c. nunc denuo ratificans, me ipſum ampliùs declaro, præfatum P. Magiſtrum Rios muneribus, pecuniis, favoribus traditum eſſe famoſum eſſe apud omnes Alumnos hujus Provinciæ &c. plurima incæpit moliri contra ſuum Vicarium Provincialem Virum omnibus quidem probatiſſimum, quem multipliciter perſecutus fuit ob Provincialatum iterum piſcandum, ad cujus effectum induxit P. Magiſtrum Fr. Criſtopharum de Toro promittens Prioratum, ſicuti dedit, Carmonenſem, ut ſubornaret Fratres ad ſuffragandum ad ipſius libitum, ſicut de facto ipſe P. Magiſter Toro fecit quadam die in publico loco poſt Veſperas apud aliquos Religioſos hujus

hujus Conventus. Promisit etiam Prioratum P. Magistro Fr. Joanni Orvanesa pro seffragio, sicut fecit in omnibus, jactans se, quod per Aureos omnia Romæ sanantur, sicut alia vice &c. Ità juro, & subscribo die 9. Augusti 1725,

Fr. Antonius de Cuesta Lector Artium &c.

Num. 8. *Alia similis declaratio.*

Fateor Ego Magister Fr. Joannes de Ortega alter ex Vocalibus Capituli Provincialis &c. protestatum à me fuisse, ut iterum protestor contra d. Capitulum ob plurimas &c. tam quoad actum Electionis, quam quoad personam Electi, qui &c. imminente Capitulo ad effectum occupandi alia vice Provincialatum, tumultum excitavit in Provincia, subditos commovendo contra Prelatum Superiorem, vota subornando sibi favorabilia in Capitulo pollicitationibus, & suggestionibus mediantibus suis factionariis, ac oblatis Prioratibus, ut obtulit in Conventu de Xibra-Leon, ubi Prioris munere tunc fungebar, P. Præsentato Serrano, jactans ad effectum animandi suos Partiales sibi Aurum non deesse, quodque hoc medio omnia Romæ sanabantur I: Super quibus omnibus juro in verbo Sacerdotis.

Magister Fr. Joannes de Ortega &c.

Num. 9. *Alia similis declaratio.*

Fr. Joseph Fernandez Sacerdos &c. ac unus ex Vocalibus Capituli Provincialis &c. ad exonerandam propriam Conscientiam, ac unicè Zelans &c. sub juramento in verbo Sacerdotis declaro. P. Magistrum Fr. Didacum Thomam de los Rios à temeritate illa, qua se &c. eligi curavit per abusum Laicæ potestatis de Anno 1715. &c. Vota sollicitavit, ut simoniacè in Provincialem eligeretur, offerens Prioratus, ut obtulit, in Conventu de Xibraleon Patri Præsentato Sarrano, qui pollicebatur cum Religiosis benigne se acturum, si votum ferrent ad mentem P. Magistri Rios &c. quodque favente sibi Archiepiscopo, ac Aureis non deficientibus, de Curia Romana nihil sibi formidandum supererat, inibi siquidem omnia sanari, & Auro omnia componi, & hæc publice evulgantes ejus Factionarii tempore Capituli ajebant: Magna jacta fuit pecunia, sed intentum habuimus: In quorum omnium fidem præsentes dedi in Civitate Giennensi die 7. Augusti 1725.

Fr. Joseph Fernandez.

Dein-

Num. 10. Deindè Præses &c. erga nominationem ad Officium Provincialatus proposuit sequentes RR. PP. MM. Admodum R. P. Magistrum Didacum Thomam de los Rios, R. P. M. Gabrielem Quiros, R. P. Magistrum Ihelphonsum de Leon, R. P. Magistrum Joannem de Tapia, R. P. Magistrum Joannem de Robles, R. P. M. Josephum Moreno.

Archiepiscopus restringit electionem Provincialis ad sex tantum Patres, inter quos P. de los Rios.

SACRA CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Eminentiss. & Reverendiss. Dñe

CARD. S. AGNETIS

PONENTE.

Ordinis Carmelitarum Provinciæ Bethicæ.

PRO

RR. PP. Vocalibus ejusdem Provinciæ.

SUMMARIUM.

ROMÆ Typis Rev. Cameræ Apost.